

Scaccia cit. quæst. 13. de Appellat. n. 114. post Baldum in Aut *Hodie*. § *Apostolos* n. 13. c. de Appellation. et alios.

146. *Judex a quo potest appellandi præfigere terminum præsentendi apostolos; adeo, ut alioquin appellatio efficiatur deserta.* — Resp. II. Potest judex a quo dando apostolos præfigere appellanti certum terminum, competentem tamen, præsentandi apostolos coram iudice ad quem: adeo, ut si appellans intra tempus illud se coram superiore iudice non præsentaverit, una cum datis apostolis appellatio efficiatur deserta. Ita Glossa l. *Præses*. §. *Præscriptum*. Scaccia c. h. t. cit. quæst. 13. n. 38. et quæst. 15. n. 15; Maranta, d. tit. de Appellat. n. 205 (Pirhing, h. t. n. 145; et alii communiter. Idque desumitur ex c. *Personas*. 4. h. t., ubi dicitur posse iudicem a quo, præfigere terminum appellanti ad se præsentandum: adeo, ut alias censeatur appellatio deserta, et appellans cogatur stare priori sententiæ. Nec immerito: tum ut præcludatur via malitiis hominum, causam appellationis alioquin diutius protrahentium; tum quia qualitas negotii principalis, quandoque ob varias circumstantias majorem requirit accelerationem, ac brevior finem litis.

147. *Pendente appellatione sunt ligatæ manus iudicis a quo; et quomodo?* — Nec obtat, quod pendente appellatione censeantur ligatæ manus iudicis a quo. Nam istud procedit solum quoad causam principalem, cui non potest se immiscere, neque sententiam suam exequi: non vero, quominus possit statuere terminum competentem, et abbreviare tempus juris, infra quem terminum si appellans non se præsentet iudici ad quem, vel non prosequatur appellationem, remaneat appellatio deserta, et priorem suam sententiam possit iudex ille exequi: ut cit. c. *Personas*. h. t. Cui simile quid habetur c. *Cum sit Romana*. 5. et Clement. *Quamvis*. eod.; Maranta cit. n. 205. et alii.

148. *Judex tenetur debite petenti apostolos exhibere intra triginta dies: alias punitur et quomodo?* — Quæritur IV. Quid juris, si apostoli debito petantur, aut petiti non dentur a iudice a quo? Resp. I. Quando apostoli per appellantem debite, ut supra, petiti fuerunt, tenetur iudex eosdem intra tempus triginta dierum, a die sententiæ numerandorum exhibere, text. clar. c. *Ut super*. 4. et c. *Ab eo*. 6. h. t. in 6. cujus posterioris verba n. 134. relata sunt. Alias ipsemet iudex una cum officio, seu officiali suo non contradi-

cente, mulctæ, subiacebit, l. *Judicibus*. c. h. t. Qualis mulcta de rigore juris civilis, ac loquendo in causis civilibus, est punitio in triginta libris auri, l. *Quoniam*. c. eod. De jure canonico tamen, si causa est civilis, imponitur poena arbitraria: si vero causa est criminalis, iudex est deponendus. Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. de Appellation. n. 210; Scaccia, d. quæst. 13. n. 101.

149. *Etsi post denegatos apostolos procedat in causa, processus est invalidus.* — Resp. II. Insuper, si iudex post denegatos, vel non datos appellanti, debiteque petenti apostolos, ex tunc forsitan in causa procedat, nisi appellationi renuntiatum fuerit (expresse, vel saltem tacite) processus est invalidus, et irritus. Ita textus expressus in cit. c. *Ut super*. 4. h. t. in 6. juncta Glossa §. *Renuntiatum*. et §. *Irritus*. istud ampliante ad eum casum, quo alias de jure valeret processus: puta, quia frustratoria est appellatio, cui deferendum non est, c. *Cum appellationibus*. 5. h. t. in 6.

150. *Et quo modo?* — Et quidem loquendo de appellatione a sententia definitiva, si iudex a quo procedere attentaverit in causa post denegatos, vel saltem non datos rite petenti apostolos; ejusmodi processus ipso jure nullus existit, atque retractatur per viam attentati: nam pendente appellatione (ut hæc semel facta pendet intra terminum petendi apostolos) conquiescit officium iudicis a quo Scaccia cit. quæst. 13. de Appellation. n. 76. et seqq. et n. 91. referens alias doctorum sententias: quamvis oppositum merito teneat in appellatione a sententia interlocutoria; tunc enim nullitas processus pendet a futuro eventu: quia, si appellans obtinebit in causa appellationis ab ipsa interlocutoria, retractabitur processus; alias non juxta textum in c. *Non solum*. 7. § *Ille vero*. h. t. in 6.

151. *Si iudex non dederit apostolos, potest appellans absque istis prosequi appellationem.* — Resp. III. Ulterius si iudex debite, instanterque, ac sæpius requisitus, ut supra, expresse deneget apostolos, aut saltem statuto a se, vel a jure tempore, malitiose sive negligenter eosdem tradere prætermittat tunc appellans absque apostolis poterit prosequi appellationem suam; dummodo id ipsum contestetur. Textus est in l. un. c. de *Libellis dimissor*. quæ est canonizata can. *Post appellationem*. 2. q. 6. Ubi ratio hujus refunditur in naturalem sequitatem, seu quia

« æquum est, si per iudicem steterit, qui debebat dare litteras, quominus det, ne hoc accipere volenti noceat. » Concordat textus in Clem. *Quamvis*. § fin. h. t. uberius hoc ipsum declarans.

## § VI.

## DE FATALIBUS APPELLATIONUM.

152. *Fatalia appellationum; quid?* — Quæritur I. Quid sint, et quotuplicia Fatalia appellationum? « Fatalia appellationum » dicuntur tempora illa, intra quæ debet inchoari et terminari causa appellationis: alias quippe appellatio fit deserta. Ita Sigism. Scaccia quæst. 15. de Appellat. n. 2. et in re communis.

153. *Unde sic dicantur?* — Et dicuntur fatalia, a fato, sive a morte, juxta l. II. c. de *Temporib. in integ. restitut.* ibi: « Pater tuus in fata concessit, » cum similibus. Unde tempora illa, intra quæ debet inchoari, et terminari causa appellationis, appellantur *Fatalia*, id est, mortem inferentia ipsi appellationi; adeo, ut hæc sit deserta, nisi intra tempora illa fiat, ac terminetur, et rata maneat prior sententia: quia sicut mors extinguit hominem, ita lapsus illius temporis extinguit appellationem. Abbas c. *Ex ratione*. 8. n. 8. h. t.; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. de Appellation. n. 232; Scaccia, ubi supra, n. 1. et alii.

154. *Generatim sunt in triplici differentia.* — Resp. II. Fatalia appellationum generatim sunt in triplici differentia: nam quædam sunt ad interponendam appellationem; quædam ad eam introducendam coram Superiore, seu Iudice ad quem; alia vero spectant ad finiendam appellationem. Ita Gailus, lib. I. *Pract.* observat. 139. n. 1. et alii. Nec in re discordat Pirhing, h. t. n. 131. cum nonnullis aliis asserens, quatuor esse fatalia appellationum. Nam hi auctores, præter tria jam enumerata, addunt Fatale petendi apostolos, de quo jam proxime dictum est: neque proprie ac immediate est unum ex fatalibus appellationum, sed solum mediate, ac in consequentiam, imo alicubi nec est in usu. Porro per ordinem prosequendo alia tria fatalia appellationum.

155. *Fatalia interponendæ, quid?* — Quæritur II. Quæ sint fatalia interponendæ appellationis; et qualiter computentur? Resp. I. Per « Fatalia interponendæ appellationis »

intelligitur tempus illud, intra quod gravatus per sententiam iudicis, vel aliunde appellare potest ab illato sibi gravamine: adeo, ut elapso tali tempore facultas appellandi pereat, atque extinguatur. Ita in re communis. Quæ quidem fatalia interponendæ appellationis passim appellantur « Decendium ad appellandum » concessum: de quo jam breviter dictum est tit. præced. § 4. n. 110. et 111. nunc autem amplius declarabitur: unde.

156. *Hæc olim fuerunt duo vel tres dies: nunc sunt decem dies.* — Resp. II. Hujusmodi fatalia interponendæ appellationis, de jure antiquo fuerunt duo, vel tres dies, l. I. § *Biduum*. ff. *Qu. rdo appellandum sit*. ac refertur ean. *Biduum*. 2. q. 6. Verum spectato jure novo sufficit appellare intra decendium: hoc est, intra decem dies a die latæ sententiæ, vel illati gravaminis, ejusque scientiæ numerandos. Ita communis; atque habetur decisum in Auth. *Hodie*. juncta Glossa ibid. c. de Appellation. Concordat textus in c. *Quod ad consultationem*. 15. de *Sentent. et re judicat.* ibi: « Cum post decem diem spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit. »

157. *Decendium ad appellandum concessum, quando currere incipiat?* — Resp. III. Prædictum decendium ab appellandum concessum, seu continens fatalia interponendæ appellationis, est computandum ab hora latæ sententiæ, seu illati gravaminis, hujusque scientiæ: atque a principio est utile, et non currit ignorantibus; sed in progressu est continuum, et fit computatio ejus de momento in momentum. Ita Glossa c. *Concertationi* §. *Sciverit*. h. t. in 6. et favet textus ibidem illis verbis: « Quisquis ex eis (actibus extrajudicialibus, v. g. Electionibus, provisionibus etc.) gravatum se reputans, per appellationis beneficium gravamen illatum desideravit revocari, infra decem dies (postquam sciverit) si velit, appellet: post decendium vero eidem aditus non pateat appellandi. » Concordant dicta superius cit. tit. præced. § 4. n. 110. et 111. ubi plures auctores pro hac sententia allegantur.

158. *Non currit ignorantibus, se esse gravatum.* — Quinimo non sufficit scire solummodo, actum factum; sed etiam est necesse scire, sese ex eo esse gravatum. Sic v. g. non sufficit, quod sciam, te esse electum ad tale

Beneficium, sed requiritur etiam, me scire, quod prius de Beneficio illo Papa mihi providerit, sicque per electionem tuam sim gravatus. Glossa cit. c. *Concertationi*. §. *Sciverit*. h. t. in 6. istud desumens ex jam allegato textu ibi: « Infra decem dies, postquam sciverit, si velit, appellat. » Accedit ratio, tum quia appellatio conceditur ad justam defensionem; nemo autem potest defendere, nisi sciat, se ab alio gravari; tum quia hoc decendum jure concessum est ad deliberandum, num quis velit stare sententiæ, aut gravamen illatum sustinere, nec ne: et consequenter est computandum a tempore scientiæ ejus, cum ignorans non possit deliberare.

159. *Decendum istud currit de momento in momentum: idque declaratur. Cautela pro notario quoad hoc.* — Igitur hoc tempus decendii incipit currere a tempore notitiæ, et postea currit de momento in momentum: adeo, ut si contra præsentem proferatur sententia, prima dies non tota computetur in termino decendii, sed solum ab hora latæ sententiæ; et horæ priores sint ex alio die, puta, undecimo supplendæ. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 139. n. 5; Pirhing, h. t., n. 135. Qui idcirco monent, ut notarius in instrumento appellationis non solum diem, sed etiam horam appellationis apponat, ad hoc, ut rite cognoscatur, an, et quando decendum sit elapsum.

160. *Decendum hoc a principio est utile, sed in progressu continuum.* — Quod autem in progressu hoc tempus decendii sit continuum, patet l. I. c. *de Feriis*, ubi propter ferias, censentur fatalia non prorogari. Unde Summarium in l. I. § *Dies autem*. ff. *Quando appellandum sit*, juncto textu ibid. notanter inquit: « Tempus appellationis interponendæ, est utile quoad initium: continuum quoad processum. »

161. *Procurator, contra quem fertur sententia, debet appellare.* — Resp. IV. Quod si quis absens per procuratorem steterit in judicio, et contra ipsum, vel potius contra procuratorem ejus lata fuerit sententia, tunc procurator ille tenetur appellare: vel, si justa causa impeditus, puta ob metum gravem, appellare nequeat, debet domino suo id denuntiare, ut is, si voluerit, appellare valeat. Textus est in c. *Non injuste*. et Abbas, ibid. n. 13. *de Procurator*. et l. *Inventus*. c. eod.

162. *Alias nocet domino suo.* — Si vero neutrum horum fiat, negligentia procuratoris nocet domino suo (quamvis hic regressum

habeat contra procuratorem) et sententia transit in rem judicatam. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 139. n. 9; Engel, h. t. n. 43. et alii. His adde dicta superius tit. præced. § 4, n. 111. et quæ fusius habentur supra lib. I tit. XXXVIII, *de Procuratoribus*. § 5. n. 121. 122. et seqq.

163. *Fatalia introducendæ, ac prosequendæ appellationis, sunt duplicis generis; videlicet.* — Quæritur III. Quid sit sentiendum de fatalibus introducendæ coram superiore appellationis? Resp. I. Fatalia hujusmodi, sicut et fatalia prosequendæ, ac finiendæ appellationis, sunt duplicis generis; alia legis, et alia hominis. Ita textus in c. *Cum sit Romana*. 5. et Glossa ibid. §. *Recisus*. h. t.; Scaccia, quæst. 15. *de Appellat.* n. 13. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 140. n. 2. et alii. Atque patebit declarando terminos: siquidem.

164 et 165. *Fatalia legis et fatalia hominis.* — Fatalia legis dicuntur, quando lex ipsa, vel commune statutum, ponit certum terminum introducendæ v. g. appellationis: hoc est, ad eam post præsentatos apostolos effectualiter introducendam coram iudice ad quem, præsentando nimirum ipsi appellationem, eundemque desuper informando, prout explicat Scaccia, loc. cit. n. 13. vers. *Quartum tempus*. Et talia Fatalia legis respectu interponendæ appellationis, consistunt in decendio: et respectu petendorum apostolorum, sunt triginta dies, ut paulo superius dictum est: et quale sit respectu introducendæ, ac finiendæ appellationis, dicetur in quæst. seqq.

Fatalia hominis e contra sunt, quæ vel iudex a quo, vel ipsemet appellans præfigit, statuendo certum terminum introducendæ v. g. coram superiore, aut etiam finiendæ appellationis. Sic. c. *Personas*. 4. juncta Glossa §. *Præfixerit*. h. t. dicitur, quod appellans possit sibi statuere terminum ad appellationem prosequendam. Similiter c. *Ad hæc*. 20. h. t. jubetur servari juramentum præstitum de stando Ecclesiæ judicio, vel intra quadraginta dies post interpositam appellationem inter arripiendo ad eam prosequendam: talem enim terminum appellans, mediante proprio juramento, sibi ipsi præfixit.

166. *Idque ostenditur.* — Clarior utrorumque fatalium mentio habetur. c. *Cum sit Romana*. 5. § 1. h. t. illis verbis: « Si ante sententiam, vel postea fuerit appellatum, hujusmodi appellantibus annus indulgetur, aut ex necessaria et evidenti causa, biennium (En!

fatalia legis). Nisi forte iudex, a quo appellatum fuerit, secundum locorum distantiam, et personarum, et negotii qualitatem, recisus tempus fuerit moderatus. (En! fatalia hominis). Infra quod, si is, qui appellaverit, causam appellationis non fuerit prosecutus, tenebit sententia; si post sententiam appellaverit, et a causa cecidisse videtur, nec amplius super eodem negotio audietur appellans, » etc. Hæc ibi.

167. *De jure civili fatalia legis introducendæ coram iudice ad quem appellationis, sunt sex menses.* — Resp. II. Spectato rigore juris civilis, fatalia legis præsentandi apostolos, atque introducendæ coram iudice ad quem appellationis, est tempus sex mensium, a die interpositæ appellationis computandum. Ita Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 140. n. 1 et 3. allegans ordinationem cameræ. Pirhing. h. t. n. 145. Sonnig h. t. cap. vi. n. 9. Idque desumitur ex l. II. et III. c. *de Temporib. appellation.* juncta Clem. Sicut. h. t. ubi dicitur, hujusmodi tempus esse computandum a die interpositæ appellationis.

168. *Et quid de jure canonico?* — Fatendum tamen, quod Ludov. Engel, h. t. n. 48. citans Hostiensem in *Summa*. eod. asserat, quod fatale istud, sive tempus præsentandæ, seu introducendæ appellationis coram iudice ad quem, de jure communi, saltem canonico (quidquid olim fuerit de jure civili) non sit determinatum: sed iudex a quo terminum præfigere debeat; ut c. *Ad aures*. 33. h. t. ibi: « Appellanti ad prosecutionem appellationis, terminus congruus præfigatur, etc. Concordat Scaccia, quæst. 15. *de Appellat.* n. 12. post Baldum, in l. fin. n. 1 c. *de Temporib. appellat.* et alios dicens, quod tempus præsentandi apostolos iudici ad quem sit arbitrium, sicut et tempus ad prosequendam appellationem, dummodo fiat intra annum.

169. *Fatalia prosequendæ ac finiendæ appellationis, de jure sunt annus, ac ex causa biennium.* — Quæritur IV. Quæ sint fatalia prosequendæ, ac finiendæ appellationis? Resp. I. Ad prosequendam, et finiendam appellationem, de jure conceditur integer annus; atque ex causa necessaria, et evidenti, biennium: nisi forte iudex a quo secundum locorum distantiam, et personarum, negotiique qualitatem, brevius tempus præfixerit. Ita communis; et habetur expressum c. *Cum sit Romana*. 5. h. t. verbis supra n. 166. jam relatis. Concordat Auth. *Ei qui appellat.*

c. *de Temporib. appellat.* et Clem. *Sicut appellationem*. 3. h. t.

170. *Hoc tempus computandum a die interpositæ appellationis.* — Porro hoc tempus est computandum a die interpositæ appellationis; prout desumitur ex cit. Clem. *Sicut appellationem*. h. t. ibi: « Intra annum a die interpositionis ipsius appellationis prosequi, et finire tenetur appellans. » Et si quis tali tempore suam appellationem, cessante justo impedimento, non fuerit prosecutus, neque finiverit, debet ejus appellatio censi deserta, prout subjungitur cit. Clem. *Sicut appellationem*, illis verbis: « Quod si justo impedimento cessante non fecerit, debet ejus appellatio deserta censi. » Ac proinde tenebit sententia prius lata; ut Auth. *Ei qui appellat*. c. *de temporib. appellat.* quæ est canonizata can. *Ei qui appellat*. 2. q. 6. juncto c. *Cum sit Romana*. 5. h. t.

171. *Lapsus horum fatalium non obstat illi, qui propter justum impedimentum non prosequitur, vel non finit tunc appellationem.* — Resp. II. Quod si quis propter justum impedimentum non prosequatur, vel non finiat causam appellationis intra annum, aut biennium, non obstat ipsi lapsus prædictorum fatalium prosequendæ, et finiendæ appellationis. Ita textus in c. *Ex ratione*. 8. juncta Glossa un. h. t. et tradit Hostiensis in *Summa*. n. 10. h. t.; Abbas, d. c. *Ex ratione*. n. 4. et seqq.; Pirhing, eod. n. 165. et alii, qui in specie sex talia justa impedimenta, seu causas afferunt, ratione quarum appellans primo anno impeditus debeat habere secundum; imo etiam post biennium sit admittendus ad ipsam prosequendam. Et sunt sequentia.

172. *Enumerantur sex hujusmodi justa impedimenta.* — Primum impedimentum prosequendi appellationem intra annum, vel etiam biennium, tenet se ex parte Appellantis, videlicet propter ejus impotentiam: puta, quia propter infirmitatem, vel propter inopiam, aut hujusmodi, non potuit tam cito absolvere prosecutionem appellationis, v. g. Romam interpositæ, sicque indigentis majoribus expensis. Textus est in d. c. *Ex ratione*. 8. ubi Glossa fin. Innocentius, Abbas, n. 5. h. t. et alii.

173. Secundum impedimentum provenire solet ex parte Appellati: puta, si is per se, aut per alios, vel interponendo frustratorias appellationes etc. impedit, ne Appellator intra annum, aut biennium, possit finire causam appellationis. Abbas cit. c. *Ex ra*

tionem. n. 8. vers. « Quandoque impedimentum provenit ex facto solius appellati. » Scaccia, quæst. 15. *de Appellat.* n. 61. citans alios.

174. Tertium impedimentum intervenit ex facto mixto; hoc est, ex facto tam appellantis, quam appellati. Quia si « appellationis prosecutio per compromissum, vel alias de partium expresso consensu differatur, tempus ad prosequendum eandem ab homine, vel a jure præfixum, non currere appellanti; textus est expressus in Clem. *Quandiu.* 4. h. t.

175. Quartum impedimentum procedit ex facto iudicis; quia, nolentis appellantem audire, vel tam cito causam cognoscere, atque expedire. Quintum oritur ex facto tertii, v. g. procuratoris, negligentis debito tempore prosequi appellationem. Sextum tandem impedimentum provenit ex casu fortuito: puta, quia appellans ab hostibus captus, vel inundatione aquarum præpeditus, aut huiusmodi appellationem debito tempore prosequi, atque finire non potuit.

176. *Onus probandi tale impedimentum prosequendæ appellationis, incumbit appellanti. Facta sunt sui natura incerta. Nec presumantur, nisi probentur.* — Porro onus probandi ejusmodi impedimentum prosequendæ appellationis, incumbit appellanti text. clar. l. ult. § *Illud etiam.* c. *de Temporib. appellat.* ibi: « Nisi appellator evidentissimis probationibus possit ostendere, se quidem summa ope misum, voluisse litem exercere, per iudicem autem stetisse, vel aliam inexorabilem causam subsecutam, propter quam hoc facere minime valuit. » Accedit, quod generaliter affirmanti incumbat probatio, l. 2. ff. *de Probation.* Nam facta, sunt sui natura incerta, l. *In omnibus.* ff. *de Juris et facti ignorant.* sicque non præsumuntur, nisi probentur, l. *In bello.* § *Facta.* ff. *de Captivis et postlim. revers.* Barbosa, *Axiomat.* 93. n. 27. et 28. cum aliis.

177. *Non sufficit probare duntaxat impedimentum, nisi etiam probetur diligentiam in eo removendo adhibitam esse.* — Addit Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 143. n. 1. et Pirhing. h. t. n. 171. quod non sufficiat probare duntaxat impedimentum; verum insuper appellans probare debeat, se non fuisse in mora, sed diligentiam adhibuisse ad removendum impedimentum, et appellationem prosequendam; per textum allegatum ex cit. l. ult. c. *de Temporib. appellat.* Alioquin enim probatio non concludere-

ret, et consequenter nec relevaret, arg. l. *Qui comectus.* ff. *de Re militari.* Unde Scaccia cit. quæst. 15. n. 156. concludit, ac pluribus firmat, quod si appellans potuisset removere impedimentum, et non movit, non obtineat secundum annum, neque evitet desertionem causæ.

178. *Stante legitimo impedimento prosequendi appellationem intra annum, conceditur appellanti secundus annus ipso jure.* — Resp. III. Stante, ac probato, ut supra, legitimo impedimento prosequendi appellationem, ipsamque finiendi intra primum annum, conceditur appellanti ad hoc ipsum secundus annus; et quidem ipso jure. Ita desumitur ex Auth. *Ei qui appellat.* juncta Glossa §. *Indulgeatur.* c. *de Temporib. appellat.* et c. *Cum sit Romana.* 5. h. t. et c. *Ex ratione.* 8. ubi Glossa §. *Impotentiam.* et c. *Oblate.* 57. eod. atque tradit Barbosa cit. c. *Cum sit Romana.* n. 3. h. t. et Pirhing, eod. n. 165. cum aliis.

179. *An tunc appellans debeat intra annum protestari de impedimento?* — Et hoc adeo procedit, ut licet non pauci velint, appellantem tunc debere intra annum protestari de ejusmodi impedimento, juxta doctores per Sigism. Scacciam, d. quæst. 15. n. 181. relatos: nihilominus talem protestationem non esse necessariam, teneat idem Scaccia n. 182. post Rotam apud Caputaq. decis. 73. p. 2; Crescent. decis. 5. n. 2. *de Exception.* et plures alios. Unde Barbosa cit. c. *Cum sit Romana.* n. 3. post. Guido Pap. tract. *de Appellat.* q. 101. n. 64. inquit, quod finito primo anno debeat appellans probare causam impedimenti; quæ si justa fuerit, declarabit iudex, ei competere secundum annum datum a lege.

180. *Et an ipsi impedito solum ex parte anni, concedatur secundus annus totus ipso jure?* — Certum, an juste impedito prosequi appellationem primo anno solum ex parte anni, concedatur totus annus secundus ipso jure ad prosequendam appellationem, variant doctores. Et quidem non pauci volunt, concedi duntaxat tantum tempus secundi anni, quanto duravit impedimentum prioris anni: sic enim (ajunt) sufficienter suppletur id spatium temporis, quod ei per justum illud impedimentum fuerat sublatum. Alii vero distinguunt: et istam sententiam de rigore juris quidem procedere consent; addunt tamen, quod si appellans toto primo anno fuit diligens in prosequenda appellatione, ac removendis impedimentis, conce-

datur ipsi de jure integer annus secundus, etsi impedimentum ejusmodi duntaxat duraverit per partem anni. Scaccia, d. quæst. 15. *de Appellat.* n. 148. citans alios. Atque hanc sententiam secundum praxin, et usum fori, præsertim ecclesiastici, magis obtinuisse, refert Pirhing, n. 172. h. t.

181. *Ulterius tempus puta tertius annus, conceditur legitime impeditis per restitutionem in integrum.* — At vero tempus ulterius, puta tertius annus, conceditur legitime impeditis per restitutionem in integrum; ut inquit Abbas in c. *Ex ratione.* 8. n. 5. et 6. h. t. post Bartolum in Auth. *Item si appellatione.* c. *de Temporib. appellat.* et alios: qui tamen addunt, huiusmodi restitutionem posse fieri per iudicem sine libello, v. g. pronuntiando, quod, quia appellans tali, vel tali facto fuit impeditus, ideo ipsum restituimus etc. Hinc Summarium in d. c. *Ex ratione.* h. t. sic loquitur: « Lapsus biennii non præjudicat appellanti, quominus ex causa legitima audiatur, saltem per beneficium restitutionis in integrum, secundum veriore intellectum. »

182. *Si per iudicem stetit, quominus debito tempore finiatur appellatio, tempus fatalium non currit.* — Solum adde, quod si per iudicem stetit, quominus debito tempore finiatur appellatio, tempus fatalium appellationis ipso jure non curat; juxta Hostiensem in *Summa,* cit. n. 40. h. t. Idque patet ex Auth. *Sed et lis.* et Auth. *Si appellatione.* c. *de Tempor. appellat.* in quo posteriori loco Bald. in *Summario* sic ait: « Si stat per iudicem appellationis, non currunt fatalia. »

183. *Fatalia prosequendæ, finiendæ appellationis, hodie non attenduntur in majoribus tribunalibus.* — Unde Engel, h. t. n. 49. observat, quod ista fatalia prosequendæ, ac finiendæ appellationis, hodie non attenduntur in majoribus tribunalibus; ubi propter multitudinem causarum, appellationes plerumque in plures annos pendunt. Et merito: nam, ut in Auth. *de Appellationibus.* §. *Ad hæc.* collat. 4. quæ est canonizata can. *Anteriorum.* 2. q. 6. notanter dicitur: « Quod vitium est litigantium, si culmen imperatorum occupetur? vel quis tanta est auctoritatis, ut nolentem principem possit ad convocandos Patres, cæterosque proceres coarctare? » Concordat c. *Ex insinuatione.* 50.

184. *Appellans a gravamine extrajudiciali adhuc post memoratum tempus auditur, saltem per remedium juris communis.* — Resp. IV.

Etsi post memoratum tempus non amplius super eodem negotio audiatur appellans a sententia diffinitiva, vel interlocutoria, sed teneat prior sententia, ut hactenus explicatum: secus tamen est dicendum, si a gravamine extrajudiciali, et ante litis ingressum, quis appellaverit; nam huiusmodi appellans adhuc postea audietur, saltem per remedium juris communis, etsi non per remedium appellationis. Ita textus in cit. c. *Cum sit Romana.* 5. § *Infra quo l.* h. t. et amplius declarat Glossa ibid. §. *Si vero a gravamine.* et Abbas, n. 18. inter alia dicens. Quod si fuit appellatum a gravamine extra iudicium, audiatur appellans post terminum, licet appellationem non fuerit prosecutus in termino: quia licet tunc deserta sic appellatio extrajudicialis, nihilominus auditur appellans super jure suo per viam appellationis; ut c. *Concertationi.* 8. h. t. in 6. Ubi proinde Joan. Andreas in *Summario,* breviter sic loquitur: « Qui appellat extra iudicium, infra decem dies, quo scivit gravamen, appellare debet: postea per remedium juris communis auditur, sed non per appellationis remedium. » Accedit ratio: quia facta extrajudicialia non transeunt in rem judicatam, hoc ipso, quod necdum sint in iudicium deducta, neque sententia super eisdem lata, ergo nihil obstat, quominus in posterum revocari valeant per contradictionem debitam (puta instituendo actionem, aut querelam, vel exceptionem contra illatum gravamen, aut alia juris remedia intentando) dummodo appellans medio tempore eisdem non consenserit, juxta textum cit. c. *Concertationi.* h. t. in 6.

185. *An, et per quem terminus fatalium a jure concessorum possit restringi? iudex a quo non potest statuere terminum finiendæ appellationis.* — Queritur V. An, et per quem, terminus fatalium a jure concessorum possit restringi? Resp. I. iudex a quo potest certum tempus præscribere ad appellationem prosequendam, etiam ex rationabili causa coarctando terminum a lege concessum: non tamen potest statuere terminum ad eam finiendam. Ita habetur c. *Ex insinuatione.* 50. h. t. ubi Summarium, et Abbas, n. 1. et seqq. Barbosa, n. 1. h. t. Scaccia, *de Appellat.* quæst. 15. n. 218; Pirhing, h. t. n. 151. et alii. Ratio posterioris partis est: quia iudex a quo, utpote inferior, non potest legem ponere superiori, sive iudici ad quem; videlicet præfigendo appellanti terminum fi-